

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 62. (*Neovidensis* 1806. Nro. 55.)

Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum
vita functorum.

Elysium, -- Meum, -- Die Martis 22 Julii 1806 (Neov. 8. Julii.)

Nascetur — — Caesar
Imperium oceano, famam qui terminet as ris,
Aspera tum positis mitescent saecula bellis.
Virgil. L. 1.

Colloquentes Manes:
Petrus Gassendi, & Fridericus Hagedorn.

Hagedorn. Licetne germanico vati adire
magnum mundi sapientem Gassendium, ei-
que pro defensione Epicuri gratias agere?

Gassendi. Nisi me omnia fallant, videre
mihi videor coram adesse umbram Hagedor-
ni; vehementer gratulor oblatam mihi esse
copiam videndi germanicum Lafontanium.
Forte Epicureus in meo sensu?

Hagedorn. Quantum Musarum studium
admittit. Interim non memini, me ullum re-
perisse Epicureum, qui tuum systema fuisset
secutus.

Gassendi. Epicurus proposuit voluptatem
ut summum bonum ab hominibus quærendum.
Ejus doctrina male intellecta, & perperam

executioni data utique periculosam produxit luxuriam; hanc ille tamen neutiquam intendit. Ille docuit, voluptate tantum parce, & in summa necessitate esse utendum. Poculum aquæ in siti haustum adfert voluptatem, at siti extincta, alterum poculum parit fastidium. Ille hortabatur suos asseclas ad continentiam, auctor erat, ut sinerent advenire necessitatem; in eaque moderate, rebus tantum necessariis fruerentur. In hoc sensu viri sancti, qui jejunando cælum consecuti sunt, sequebantur placita Epicuri.

Hagedorn. Quid autem animi affectiones?

Gassendi. Has etiam in officio tenendas, & reprimendas docuit Epicurus. Quod autem Romani ejus doctrina sint abusi, & voluptatem quæsierint in immoderata, & vaga libidine, id ei vitio dari nequit. Qua de causa impetus facti in ejus doctrinam ex parte Romanorum, qui eam *de grege porcorum* dicebant, referendi sunt ad abusum, non vero ad Epicurum.

Hagedorn. Juxta hanc tuam explicationem forent Monachi, Carthusiani, vel Eremitæ, veri nominis Epicurei.

Gassendi. Si tibi placet, non adversor, malle tamen Trappistas referre in eorum numerum.

Hagedorn. His itaque comparate ad usum rerum necessariorum concessis, gradum facio ad animi motus. Qui fieri potest, ut Heros, Alexander, adoptet hanc doctrinam?

Gassendi. Ante oculos mihi constituis argumentum, in quo jam multi regulas Epicureismi transscenderunt. Si quælibet Civitas unam efficit personam, non nisi rarissime fit, ut hæc persona in propera fortuna moderationem adhibeat.

Hagedorn. Exempli causa: — Anglia, & Gallia?

Gassendi. Hæ ex animo Epicuro non sunt additæ. Anglia vult in mari continentem, Gallia vero in continente maria debellare. Politicæ passiones raro admodum pertulerunt systema Epicuri; Sed etiam ingens nascitur ex tali conflictu satietas, unde vires paulatim defluunt.

Hagedorn. Cum nos philosophicum nostrum colloquium ad Politicam deduxerit, lubet — non quidem juxta doctrinam Epicuri, sed juxta principia Machiavelli formare quæstionem sunt media, quibus Anglia, majori maritima potentia prædita, ac omnes cæteræ simul nationes, in continente vincatur?

Gassendi. Noli dubitare.

Hagedorn. Id tamen non puto futurum mari.

Gassendi. Expendamus hunc statum cum omnibus rerum adjunctis. Non actuosi amici, & invidi hostes siverunt perfringi oppositionem, quæ in continente stabat adversus Galliam. Austria coacta est viam aperire gallis in Turciam, hic se possunt Galli, & Russi contingere. Quanta hinc perplexitas omnium nationum! Unde igitur redundat in Russiam major utilitas ex societate Anglica, vel gallica? Quid potest prodesse Anglia Rus-

sizæ nullas colonias habenti? Quid est, quod metuat? parum aut nihil; Aliter se res habet cum Gallia, aut periculum, aut emolumentum, quod postremum semper libentius amplectimur. Ex hac positione tria nascuntur contra Angliam in effectum deducenda remedia. 1) Angli possunt invadi in suis auri, & commercii venis. Russia per Regnum Persizæ dilatata extendit se (expeditio Alexandrina) usque ad Indiam orientalem, occupabit thesauros Indiz & Magnæ Britanniz. 2) Gallia ex Ægypto auxiliares præbebit Russis manus, & intra spatium duorum annorum in continente Asiæ nemo Anglorum videbitur. Quid aliud restabit Britannis, quam agere piratas per orbem universum? 3) Interea longe solertissima natio gallica otio non torpescet, sed ædificabit naves, educabit nautas, & antequam 10 anni elabantur, volitabunt ejus vexilla per omnia maria. Hoc foret consilium pro tumultu, in quo dominatio Anglica sepelire ur; Hoc tamen levi brachio non ibit in effectum — Interim Magnorum est: *ardua vincere — omnia e opus.*

Hagedorn. Excellens argumentum pro carmine epico, quo virtutes Heroum canantur!

Gassendi. Hic status potest evenire: Litteræ enim ex Anglia allatae de 26. Junii memorant: Rumores quidem pacis habuisse fundamentum in incæpta negotiatione, sed missioni Lordii Jarmouth non respondisse optatum successum. Responsum, quod Dominus Vilbraham Parisiis attulit, multum imminuit va-

lorem publicarum syngrapharum. Interim tamen omnis spes non est adempta; Hæc 25. Junii D. Vilbraham iterum reversus est Parisios — Probabilius cum mitioribus propositionibus; Londini enim communis fama fert Russiam cum Gallia pacem confecisse.

Vindobona 26. Junii: *Suum cuique* — — —
In diversis publicis ephemeridibus identidem continebatur relatio, quæ honori Austriaci Pro-Mareschalli, Liberi Baronis de Brady, ac si ille oram Cattarensis Russis tradidisset, sicque erga suum Imperantem infidelitatem commisisset.

Ejus gloriæ, quam sibi in difficillimis, & periculosissimis negotiis administratis comparavit, debetur, ut illas de eo narrationes tandem corrigamus, declaremque, eas nulla veritate nati, Pro Mareschallus enim Brady multis centenis miliaribus maritimis ab Albania remotus Teræ morabatur, dum Cattarum Marchio Ghilisieri contra voluntatem Aulæ Russis tradidit, Gallicæ autem copiæ suum adventum usque ad 4. Martii distulerant, eoque tempore primum Macariæ in limitibus Ragusæ constiterant; In totum hoc negotium eatenus tantum influxit Liber Baro Brady, quatenus ut civilis, & militaris Dalmatiæ, & Albanicæ Gubernator Cattarensibus sibi subjectis Officialibus mandata agendi dedit.

Hæc autem fuisse voluntati Sux Majestatis conformia, sed actionibus Marchionis Ghilisieri adversa, tam Aulæ, quam omnibus bene informatis Austriacis Ministris ex asse constat.

Interim Pro Mareschallus Brady evocatus fuit ad reddendas facti sui rationes Vienne, uti id etiam propria defensio exigebat, ast neque comprehensus est, ut novellis publicis vulgatum, nec ulli alii minimæ culpæ subiectus, cum insontem esse, jureque egisse luce meridiana clarius probatum fuerit.

B I O G R A P H I A.

Petrus Gassendi Canonicus, tum Præpositus Cathedralis Ecclesiæ *Diniensis* Professor Mathematicarum in Regio Collegio Parisino, atque in clarissimis, quos Gallia habuit, Philosophis, in oppido Provinciæ *Chantersier* 1592 primam lucem adæpexit. Studiis gloriose absolutis, Epicuri Systema elaborandum, emendandum suscepit, novamque ei auctoritatem conciliavit. *Gassendus* præter philosophicas & mathematicas disciplinas, linguarum quoque peritia excelluit, solidæque & vastæ doctrinæ vir fuit. *Peirescius*, *du Vair*, *Card. Richelieu*, aliique ejus temporis Eruditi, multum ei dignitatis auctoritatisque tribuebant. *Card. Lugdun.* frater *Card. Richelieu* mathematicam ei in Collegio Regio Cathedram Anno 1645 procuravit, & quisquis *Mecoenas* videri, censerique voluit, is amicitiam *Gassendii* prensavit, honori que tribuit, ejus familiarium numero se contineri, e vita discessit Parisiis Anno 1655.

Friedericus Hagedorn in primis poetis germanicis hodierni seculi, sub initium prioris seculi Hamburgi luci editus; in qua pater suus

Regii Danici *Residentis* munere functus est. Studiis litterarum partim in patria, partim Jenæ operam dedit, circiterque Anno 1728 in Angliam profectus, editis jam germanici *Poematis* speciminibus, communi eruditorum Sententia probatis, quæque ingenii, vigorisque, quo pollebat, mentis argumentum erant. Redux Anglicanæ Societati mercatoris, quæ *Hamburgi* floruit, a secretis fuit, quod & lucrosum munus fuerat, et otium ei præbuit musas colendi; nec defuit edito luci publicæ *Tentamine Fabularum & Narrationum*. Anno 1738. quo erudito foetu majorem apud intelligentes venerationem musa ejus adepta est, & reapse has, maxima parte aliorum inventiones tanta elegantiâ, simplicitate germanico idiomate donavit, ut origine sua germanicæ videantur, nec ulla ratione ex alio idiomate traductæ noscantur. Quam vero venustæ ejus fabulæ sunt, tam elegantes quoque ejus *Cantilenæ*, & *Narrationes*, non minus moraliâ ejus *Poemata* Editori auctorique celebritatem nominis conciliarunt. Prostant ejus poetica opera in eleganti formæ octavalis Editione 3 Tomis. obiit ex hydrope die 28. Octobris 1754. ætatis suæ 47 anno.

P o s o n i o .

Ad eximendam ex animis rudium præsertim opinionem de existentia sagarum, documento est sequens factum:

Anno superiore 1805 mense Februario, in Possessione Losorn prope Stompham in

Comitatu Posoniensi Pauli Gjurtsek uxor annos 23 nata repente amisit usum utriusque oculi adeo, ut nec ad solis, nec alterius luminis radios quidquam videret, cum tamen eam intuentes clarissimos cernerent eius oculos, asseverarunt coecitatem illi esse conciliatam arte magica. Meliora tamen edocti svaserunt, ut se conferret Posonium, ibique in platea Wödritz dicta adiret *oculistam*, Medicum ocularium, qui multis jam juvenibus, & senibus usu oculorum orbatis visum restituit. Factum est Post 5. menses 8. Julii adduxit maritus infelicem suam uxorem ad dictum medicum, qui illico agnovit eam laborare amaurosi (Schwarzer Staar) præscripsit medicamenta in similibus casibus jam sæpissime feliciter adhibita, & 20 Julii, adeoque post 12 dies reversus est Posonium maritus cum sua uxore jam plene vidente, ambo gaudentes amplexati sunt virum, qui intra breve tempus a coecitate, malo omnium tristissimo liberavit foeminam, simulque exemit errorem de incantatione, & præstigiis. De genere humano meritissimus hic medicus vivit, habitat Posonii in platea Wödritz dicta in sua domo N. 775. Ob ætatem graviolem longinquo itineri se committere amplius non cogitat, offert tamen omnibus suam operam, ut afflictis opem ferat, hoc unum expectans ne in accipiendis, vel dandis epistolis consilia continentibus damnum patiat. Qui a cæcitate liberat, vel eam antevertit, omni honore, & favore dignus est.

